Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ordinis.
1710 d. 12 Aprilis.

Zarzycki Joan. Antonius: Laurus Cracii Apollinis post fatales Libitinae rogos immortalis ac inter Martiales virescens flammas, in coronas probatae virtutis et magnae indolis XI VV. DD. primae laureae Candidatorum conservata.

LAURUS
CRACII APOLLINIS
Post fatales Libitinæ rogos
IMMORTALIS,
ac inter Martiales virescens flammas,
in Coronas probatæ virtutis, & magnæ Indolis
XI. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorũ
CONSERVATA:
atque dùm eâ

Per Clarissimum ac Excellentissimum Dominum,

D. M. MARTINUM KUROWSKI,
Philosophiæ Doctorem & Professorem,
Collegam Majorem, &c.

Artium Liberalium & Philosophiæ Baccalaurei
renuntiati coronarentur.

A
Musis exoptatô per Triẽnium munere gaudentibus,
Operâ & Studiô Pòëticô,
JOANNIS ANTONIJ ZARZYCKI,
Ejusdem Laureæ Candidati,

Gratulationis ergò
CELEBRATA.

Annô quo radix Iesse (Isaiæ 11.) *Coronam gloriæ, sertum exultationis* (Isaiæ 28.) *germinavit.* 1710. *Die* 12. *Aprilis.*

CRACOVIÆ,
Typis ACADEMICIS.

IN STEMMA
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
KRASINSCIANÆ



I.

Evolat excelsum, metuit nec lumina corvus:
Hîc Aquilæ virtus vera colore caret.

II.

Annulus in rostro celsum, cur nutat Olympum?
Est sponsata polis, inclyta dicit Avis.

III.

Spectat Avis cælum, tellurem Crux soleata.
KRASINSCIORUM *Nomen ubiq; legunt.*

ILLUSTRI ac MAGNIFICO DOMINO,
D. STANISLAO
DE KRASNE
KRASINSKI,
CASTELLANIDÆ MALOGOSTENSI, &c.
Domino, Patrono, & Mecænati Amplissimo.

Bene & feliciter Literarius Orbis, post parentales rogos, inter flammantes Gradivi impetus vere novô vernantibus ominari debet Laureis; ubi hanc Gentilitiam Inclytæ Domûs ALITEM, *rebus Auspicatissimam Palladianis Muneribus videt prævolare; qua auspicante Romanus Hector Valerius, bonum publicæ calamitatis finem,* CORVINISq; *immortale paravit Nomen. Etenim præter naturam volucris, fortunatissimam Aurum & Annulus rostrô, per æthera latus, meliorem felicitatis modum, plura benignioris fortunæ munera pollicetur. Fortunata* AVIS *annulum, Signum fæderis, pignus clementiæ cælestis, amicitiæ nodum, post effusos in Orbem Cracium Nemeseos furores, (veluti post magnas Deucalionis aquas) Laureatis circumfert Capitibus, ut eam spem facile concipiant; quam Orbi natanti Columba frondem virentis Oleæ ferens autumavit. Iam præsagus bonorum* CORVIN, *aurum in lingua toto circumtulit Orbe, ut illa aurea Saturni tempora prædiceret, quibûs suâ virtute Heroica factîs, primo Romanum Imperium, post Pannonicas gentes, demum Sarmaticum recreavit Orbem, tanta felicitate; ut omnes in suum amorem ubique excitaret honores. Planè ubi Avis hæc Romanorum titulis & origine celeberrima, Pannonicas sui Nominis dignitate donavit oras; ubi ad Serenissimum Lechicæ Aquilæ provolavit nidum; ita meritorum nisu, & virtutum pennîs, per excelsa honorum ferebatur fastigia, ut in quolibet sui amorem inveniret, vel faceret, & sero venturæ posteritati cum gloria relinqueret. Tantum quippè meritorum decus, tamq; serenâ virtutis meridie, licet nigra ubiq; explicuit Avis, ut omnes splendore nobilissimo illustraret*

hono-

honores, & radios immortalis gloriæ, per Culmina honorum diffusos, in Orbe Europæo sine numero multiplicaret. Obumbratur Oratorius genius Tua illustria recensendo Nomina, enumerando, quid de populo, Senatu, Patria, quid de Ecclesia Illustrissima KRASINSCIORVM *meruerit Domus. Alijs in decus & & honorem, alijs in tutelam, omnibus in salutem evolanti auspicata, Aite.* Omnia KRASINSCIORVM *Nomina, Magnifica generosæ virtutis scias Numina, tanto scribenti graviora calamo, quanto magis Gentilitio, Auri in Annulo, Ferri in Solea metallo, cæteris præponderant. Quam multum laboraret calamus! si recensita Nobilissimi Sanguinis & annorum serie,* NICOLAI *de* KRASNE *in Ecclesias Munificentiam; ejusq; filiorum* IACOBI *Heroicam Mentem,* IOANNIS *pijssimam, Magnificam* ANDREÆ, *in* FRANCISCO *Regni Procancellario ac post Episcopo Cracoviensi, Duce Severiensi Nepote perennantis, dignis celebraret laudibus. Supra humana mentis acumina, extollit se Gentilitius Ales, in* ALBERTO *Castellano Sierpscensi, in* ANDREA *Castellano Ciechanov:* STANISLAO *Palatino Plocensi,* IOANNE *Castellano Varsav: alysq; fere sine numero æque virtutum, ac Illustrissimi Sanguinis claritate Celeberrimis. Addidit Gentilitiæ Aliti amplioris gloriæ pennas,* GABRIEL *Castellanus Plocensis, Vir sagô togâq; meritissimus; qui cum millenas hostium turmas, sola virtutis turba, quia sine numero militum debellaverit: jam Sarmaticus vocaretur Hercules; ni verũ Alcidam Heroica parem mente,* NICOLAVM *Castellanum Malogosten: Illustrissimum meritis Patrem Tuum, Teq; non imparem cum* ALEXANDRO & FRANCISCO *Fratribus Heroem in præsidium & decus Patriæ Nepotem reliquisset. Ad tantæ ergo virtutis & gloriæ Alitem Iagellonica procurrit Musa, auspicatã muneribus suis promittit felicitatem. Vernanti Capitibus Doctis lauro hîc Patrocinium quærit; ubi antiqua Romanorum, inclyta Polonorum Respb: invenit præsidium. Nimirũ Gentilitio Aliti, Apollinares exporrigo plantas; ut plantas, quas Crux sustinet, sustineat Laurus, hinc gloriam habitura, quod eodem, cum Cruce pondere oneretur. Indulge hanc Tui Patrociny felicitatem & qui Majorum, proprijs virtutibus æquâsti gloriam, longævus summis honorũ titulis vivas feliciter ornatissimus. ita precatur*

Illustris & Magnificæ Dominationis Vestræ,

Cliens Humillimus

IOANNES ANTONIVS ZARZYCKI, Primæ Laureæ Candidatus.

THAUMATURGO LAUREARUM PARENTI,
Magno Laureatorum
PATRIARCHÆ,
Diviniori Lechicæ Musæ APOLLINI,
REGNI POLONIÆ,
& Almæ Vniversitatis Cracoviensis
PATRONO.
B. JOANNI CANTIO,
Sacræ Theologiæ Doctori & Professori,

Pro conservata per ejus Sanctam Protectionem, inter Parentales rogos, & Martiales flammas, lauro: Cracius Apollo, Musas in gratias & plausus agendos evocat, suis favere muneribus petens.

CUM LEMMATE. Mente Manuq; Pater.

CVrrite dilectæ Phæbo, concurrite Natæ
Pectora ferte piæ, flectite colla, genu.
Huc animos mecum, grates huc fundite corda
Numine læta Patris, Rector Apollo voco.
Nervos cum Cythara, cum sistro tendite plectrum
CANTIVS in cantus, debet abire meos.
Gratia IOANNES, nostro diffunditur Orbe,
Celsaq; Parnassi, culmina nostra beat.
Vivimus in tanto servati turbine rerum
Cælitus in nobis Vita beata stetit!
Omnia cum bello ruerent, atq; omnia peste
Præsidium Musis CANTIVS ipse fuit.
Bella canant alij, nos bello vivere peste,
Præsidiô Patris, sæcula Musa doce.
Ignibûs & ferrô per totum Mars furit Orbem
Iam flammæ rerum corripuere decus.
Si gladius parcit, si cessum Mars vocat, ensem
Falcibus, ô Superi! trux Libitina metit.

His lacerata malis Cracij Parnassia tellus
Nunc tamen hæc eadem, quæ fuit ante, manet.
Laurus quæ mortis, Martis quæ senserat ictus.
Surgit pressa malis, ignibus usta viret:
Tu Patér hôc laurum virtutis munere donas,
Desinat, ut nunquam fronde virere nova,
Ingens si veniat quando pressura malorum
Gratia sed major Tu Pater Alme venis.
Tristia, sors nequam, si intentat nubila Musis:
Sanctior effundis lumina Phæbe Tua.
Marte riget Pindus, tellus non sicca timenda:
CANTIVS è Cælo lacte rigabit aquâ.
Ancillam recreat si lactis munere; posset
Durior in Matrem, tam pius esse Pater?
Filia, quæ Matrem hanc meruisti turba sororum,
Supplicibus votis, corde precare Patrem.
Huc Pater, huc placidas aures adverte benignus;
Porrectâ, Lauros inspice fronte novas.
Vota fovens animo, Musarum suscipe; Princeps.
Quarum pars fueras, nunc Caput esse velis.
Doctor eras sacrâ redimitus tempora laurô,
Frontibus & nostris serta vigere dato,
Temporibus major, vernabit Laurus honore
Si fuerit plantis tacta Beate tuis
Da cineres busti, spargatur pulvere vitta
Splendorem Capiti, vitta corona dabit.
Vênimus in plausus pietatis dona ferentes:
Patria quod per Te salva manere potest.
Da cineres, felix & vitæ tempora fundes,
Per tuaq; æternus rura Phalantus eris.

Clarissimis, Excellentissimis, & Admodùm Reverendis Dominis,

DD. EXAMINATORIBVS,

Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. SIGISMVNDO LISOWIC,

Philosophiæ Doctori, Regio Professori, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatæ ad S. ANNAM Cracov: CANONICO, Navaricensis CURATO, Universitatis Cracov: Generali PROCURATORI, ac interea Philosophicæ Facultatis

D E C A N O.

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. CASIMIRO KVBALEWIC,

Philosophiæ Doctori, Regio & Mathesĕôs Professori, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatæ ad Sanctam ANNAM CANONICO, in Circulo Cracoviensi Ecclesiæ S. ADALBERTI PRÆPOSITO.

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MARTINO KVROWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatæ S. ANNÆ CANONICO, PROMOTORI Dignissimo.

Quod suo labore, virtute ac scientia, Primi post pestilentiæ annos, quasi post grave sæculum Pyrrhæ, in solo Academico redimiendis temporibus excoluerint lauros.

Ode votiva.

CUM LEMMATE. Datûr pro munere munus.

DOctæ Sorores, Threicij simul
Vatis, canoros volvite pulveres
Tantiq; Patris sparsa in unum
Ponite membra piæ, furente
Discerpta Baccho. Lympha dabit caput
Quæsita plectrîs Euridice Viri,
Pari fatiget Ditem amore,
Rex animam Stygius reponat.
Spirans ut Orpheûs tendere barbiton
Movensq; plectrum, dulcisona manu
Lenire vim, citare manes,
Et cytharas animare cantu
Potens, Maronem cantibus evocet
Clarum Pòëtam ducat ab inferis
Lechæum in Orbem cautiorq;
Sit magis in furias Ministrûm.
Jovis vel almò munere per dies,
Alternus adsit noctibus inferis
Cælos precata sic Eleusis,
Sic Hecate potuit redire.
Decora busto Parthenope Virum
Arvis Pòëtam reddat amabilem.

 Dilecte

Dilecte Phæbo Mantuane
Alme precor venias canentûm
Pater. Laboris materies nova
Adest: repletus pone Georgica,
Phæbo; canantur arva, cultus,
Numina, quæ coluere primò.
Phæbea tellus germine nobilis,
Semperq; lauris fronde virentior,
Vetusta Regum Mater alma
Progenies Superûm Sororq;
Dilecta Cælo, frondibus impotens
Virere sacris, facta fuit situ
Novale, cum ferme per Orbem
Diluvio vehebatur atra
Rhamnusis, & Mars addidit impius
Vim, quando sævâ detonuit manu
Herbæq; consumpsit vigorem
Et folijs viduavit ante.
Jam hæc culta tellus ridet amabili
Vultu, decoræ germine pullulant
Laurus in ignibus virentes,
Fulmina nec metuunt Tonantis.
Adest Sacratus Ternio Numinum,
Vernare terram fronde virentibus
Qui laureis fecit, novoq;
Flore dedit trabeata tempe.
Maro resurgens Triptolemos voces
Priscos honores seu Celei dabis;
Dignare primos nunc satores
Carminibus celebrare vates.
Primus LISOWIC *quid meruit? cane,*
Phæbi Sacratos cum renovat modos
Sub ejus ingenti laboris
Pondere, Palladiana laurus
Surgens per Orbem crescit amænior.
Hic cùm decorus murice fulgeat,
Magisq; virtutis nitore
Vitta caput redimire primo.

Gaudet

Gaudet. Tibi altô gloria sidere
Repôstâ, seclîs hunc animum dabit;
Quod purpurato, Te Coronæ
Funeribûs viruere nigræ.
Magnus Sophorum, principe, nobilis
Virtute Præses, & Sapientiâ,
Rerum probatus nunc Patronus,
Et studijs Heliconis ante
Clarus Lechæi; vota sodalium
Æquas, fatigans plectra moventium:
Musæ laborent te tacendo:
Cum superes Cytharam canentis.
Sic KVBALEWIC inclyte gloriâ
Cum primo easdem primitias colis,
Laurumq; Phœbeam recentî
Condecoras meritô laboris.
Felix Sophorum curris Olympia,
Probas colendo temporá laureis
Aptas ferendis; tum libenter
Vraniem recolis sacratam.
Vt alta, cœlis lumina syderum,
Phœbô refulgent clara videntibus:
Sic, Sole Te terris micante,
Fulgida sunt animis scientum.
Magneta, frigens alteruter Polus;
Te, qualibet pars jam sibi vendicat
Cœli: quia magneta volvens,
Digna polîs operare Doctor.
Icon Virorum, pectora, triplicî
Cinctus KVROWSKI, plusq; Corynthiô
Armatus ære, Musa plectrô,
Te numeris repetat sonoris.
Roma, Catonem si gravitas decet;
Perenne Nomen Philosopho datur:
Vtrumq; justè Tu mereris,
Ingenio gravitate magnus.
Virtutis Almæ, pulcher honoribus,
Apex decorus Tu sapientiæ,
Labore nunc Tuo parantur,
Vere novo nova serta Musis.

 Nostro

Nostro reponis vertice lauream:
Sis ipse fulgens laudis adorea:
Qui das honoris; per me amoris,
Sume Pater, monumenta gratus.
Sed, si Maronis plectra sonantia,
Laudum ter amplis concita honoribus,
Simul Virorum, non potestis
Acta trium resonare Metro
Doctos labores. fama perennibus
Inscribe fastis; auspiciis quibus,
Primò Lechææ, nunc acerbam
Post Nemesim, viruere laurus.

LAURUS
Cracij Apollinis.
In Coronas XI. VV. DD. Primæ Laureæ CANDIDATORUM NEXA.

II. V. ac Religioso Fr: NICOLAO KUKLINSKI, Ord: Can: Reg: BB. Martyrum de Pænitentia Conventûs Cracoviensis S. MARCI.

Cui Melpomene luctu deposito plaudit.

CUM LEMMATE. Nomen Musa dabit.

MElpomene, Tragicas, Parnassi scribere scenas
Desino; queis omnis mæsta dolebat humus.
Pallida mors, pedibûs, pulsavit culmina terris:
Et sonitu falcis, terruit omne genus.
Vidimus, ô miseræ, diræ spectacula mortis
Aonides! cantu, flevimus & Cytharis.
Sic Lachesis, luctu totum compleverat Orbem:
Audires Pindô, nil, nisi triste melos!
Desino, sed tantum plectro renovare dolorem;
Sat gemitûs Cytharæ, corda doloris habent.
Temporibûs vernis vincor, Laurôq; comanti:
KUKLINIO plausus intono, vota, lubens.

Quod

Quod tua, Pieridum, præcingat tempora, munus:
Hinc decus est Phæbo, multus honorq; tibi.
Tu confers Lauro; quantum tibi contulit ipsa:
Ambobus pariter gloria, crescit honor.
Non Boreas laurum, fervens vel Syrius uret;
Corde calor Patris, fronte rigabit aqua.
CANONICI titulo, si gaudes Aureliani:
Fronte tuâ laurus gaudet utroq; simul.
Nomen honore Tuum majus: cùm dextera Phæbi
Virtuti magnæ, Laurea serta dedit.
Nobilius fulges, ornatus munere tanto:
Pectore stemma Patris, fronte Corona decus.

III. V. ac Religioso Fr: STANISLAO WOYKIEWICZ, Ord: Can: Reg: BB. MM. de Pænitententia Conventûs Cracoviensis S. MARCI.

Thalia Laurum laudibus prosequitur.

CUM LEMMATE. Fraterno jungor amore.

TRisti Melpomene, semper contraria metrô,
Læta Thalia fuit.
Nunc unum pariter plaudentes carmine fundunt;
Conveniuntq; magis;
Quàm cum triste genus sortis, mala cantica fecit
Imparibus Paria.
Illa, actus tragicos, scenas; hæc, comica linquit.
Materieq; novâ.
Gaudentes Phæbi concesso munere, pulsant
Plausibûs ad Superos.
Alterius cum fratre, Deas, sic Religiosus
Conciliavit amor.
Hic, Te WOYKIEWICZ cum KUKLINIO *sociavit,*
Munere Palladio.
Hæc virtus Musas in plausus convocat almos
Cordaq; corde legit.
Hinc, quando Lauro Phæbeâ, religiosa
Tempora cinctus ades:
Solvitur in Cytharas lætanter Comica, Pæan
Dulce canendo Tibi.
Sors melior cingat cum lauru tempora sacra,
Fronde perennet opus.

IV. V. D. ANTONIO JOSEPHO ROZMARYNOWSKI,

Euterpe Tibia gloriam canit.

CUM LEMMATE. Flore beatior.

NOn Liber Thebas, Delphos non jactet Apollo,
Ostentet vel Thessala Tempe.
Tiburis & lucus Flacco non rideat; absint
Et felicia rura Phalanto.
Flore novo Lechici colles, Parnassia Sylva
Nunc oculos & corda merentur.
Hîc multâ lauru terram decoravit Apollo;
Flore Rosarum ROZMARYNOWSKI
Vestijt, & plures, ad Laurum protulit herbas
Virtutis, splendoribus Almæ.
Narcissus fieret; roseum si non Logicales
Spinæ, flore labore dedissent.
Aurea limatæ spectantur lilia vitæ;
Miscentur violæ pietatis.
Euterpe gaudens spatiando per nova Tempe,
Sic dulci modulatur avena;
Flatibûs, ut folium Lauri, Tibi fronte virentis
Virtutum floresq; agitentur.
Vt factis animes famâ cum Nomine secla
Tibi vota per æthera spirat.

Morkus A. 1744.

V. V. D. MATHIÆ FEDEROWICZ,

Clio plaudens in laudes metricè currit.

CUM LEMMATE. Tu Cytharæ prior.

QVem Virum Clio celebrare cantu?
Facta, quæ buxo resonare sæclis?
Vel quid æternô, repetam cothurnô?
Quærere, sisto.
Quid priùs dicam solitis canentum
Laudibûs? quidvè potiùs Camænæ
Cantibûs tollent numerîsquè doctîs?
Ambigo plaudens.
Phæbus & Pallas Cytharam canentis
Vendicant; plectrum, nova serta; dansq;
Tristibus, Numen, meliora Musis
Carmina poscit.

Mitto jam laurus Heliconis Almi;
Nec satis Phœbum recolam canendo;
Te FEDEROWICZ *breviore pono*
Tangere metro.
Alma, Te virtus posuit sacrato
Proximum Phœbo; Sapientiaquè
Additum lumen, decoravit omni
Munere docto.
Fulgeas lauro Capiti Sacratâ
Quàm tuæ magnæ meruere dotes,
Narret æternum meritos honores
Fama perennis.

VI. V. D. FRANCISCO LUCÆ KLONECKI,

Terpsichore in Cythara psallit.

CUM LEMMATE Virtus magnifica ambit.

PHæbi Terpsichore Soror,
In docto, Cytharâ, Pyeridum choro
Princeps, nunc celeri pede
Ad Craci propero limina faustiùs,
Lauri fronde virentia!
Lethi, quæ fueram pulsa furoribus,
Flammis, ustaq; Martijs.
In saltus hilares Curro libentiùs,
Cum dulci modulamine
Dotes egregias munera Palladis,
Queîs KLONECCIUS eminet;
Doctis Aonidum concelebro modis.
Cunas Posna dedit Tibi;
Laudavit studium Musa Lubranscia:
Vidit mentis acumina;
Doctorum quoties prælia gesseris;
Linguâ doctiloquâ potens,
Vt mel, sicq; rosas sparseris Atticas.
Distaret magis inclyta
Virtus dos superum sordidæ inertiæ;
Doctum limina publica,
Adventas tripodem Cracij Apollinis;
Ad fontem sapientiæ
Currens egregiæ passibus indolis.

Hîc jam temporibus Tuis,
    Musarum Lechicus serta parat chorus.
Possis Terpsichore canit
    Præcelsæ titulos sumere gloriæ.

VII. V. D. JOANNI OLEXINSKI,

Erato Pöético pede in plausum exultat.

CUM LEMMATE. Hac itur ad astra.

IN varios mortale genus distenditur actus:
    Nec pariter cunctis, pectora lenit amor.
Clusius huîc ridet, dubiusq; Patulcius illi:
    Fulminibus belli claruit; ille togâ.
Hic Arabum gazas, Cræsi vel munera poscit:
    Respuit hoc alter, Fabriciumq; gerit.
Docte OLEXINSKI *melior Te concitat ardor;*
    Ad Lechici Pindi, culmina celsa trahit.
Pallida mens libris, vittam, meruitq; virorem
    Gauderet virtus, dulcis honore suo.
Te bene jam Sophici magnum coluere labores:
    Doctrinæ, clarum viderat omne genus.
Tanta tuis fulget morum prudentia factis:
    Deberet vitam, Censor amare Cato.
Exultat tanto virtutis Nomine Musa
    Delius hoc vates, hoc comitatur honor.
Fert Erato dulcî jucundam fronde Coronam:
    Ut ponat Capiti, semper Amica Tuo.

VIII. V. D. BASILIO KWASOSWKI,

Calliope, heroicis scientiarum actibus lauream offert.

CUM LEMMATE. Virorum Patria virtus.

PLectrum Calliope, Sumo libentius;
Heroem genio, Pallade nobilem,
Dignum Mæonij Carminis alite
        Pindi canto decus novum.
Tu magnus studijs, pectore Principum
KWASOWSKI, Cytharâ nunc resonas meâ,
Largè muneribus clarus Apollinis
        Ferris tendine Lesbia.
Qua fugax trepidat Nympha Borysthenis,
Et Ponto properat qua rapidus Tyras

Te Sol Sarmaticus viderat Inclytum,
Novitq; Istula nobilis.
Hic jam fronte tuâ ridet amænius,
Princeps in Lechico sydere Cynthius,
Ornat promeritâ laudis adoreâ
Mores & Sapientiam.
Pectus namq; Tuum nulla scientia
Fugit digna Viro, culta laboribus
Virtutis facies, fulget amabilis
Doctrinâ nitidum caput.
Ergo detur honor temporibus tuis
Edoctarum hederæ præmia frontium,
Cingant, magna Tuæ dentq; perennibus
Fastis Nomina gloriæ.

IX. V. D. CAROLO SCHNEDER,

Urania inclinat benevolentiam Cæli.

CUM LEMMATE. Altum mens alta reposcit.

MEcum nunc teneræ, plaudite Virgines,
In cantus hilares, pectora solvite,
Luctus, atq; dolendas
Ponendo querimonias.
Parnasso redeunt munera Apollinis
Accedunt Superis lumina partibus
Laurus docta virescit
SCHNEDERN *Uranie nova*
Est. Hunc æthereus spiritus expetit,
Virtutis radijs, & sapientiæ
Magna luce decorum,
Partes ad superas trahit.
Ut quondam geniô clarus, ab Urbibus
Quæsitus varijs, Mæonides fuit
Sic SCHNEDER *studiosè*
Nunc distenditur artibus.
Num primo Sophicus Te labor expetit,
Suadæ fluminibus, ferris amabilis,
Mentem Musa libenter
Cælestis sibi vendicat;
Doctum Sacra dein Laurus amat Caput,
Qua cinctum vireat sæcula candidum

Famæ sorte perenni
Magnus crescat honoribus.

X. V. D. GREGORIO KLEEN,

Polyhymnia Præsaga gloriæ Coronam gratulatur.

CUM LEMMATE. Virtus Elogium Tibi.

ELoquor plausum Polyhymna gestu,
Lauream signo, celebresq; dotes.
Nobilis KLEEN Tibi gratulando
Munera Phœbi.
Alma te Mater, Podoliniumque
Novit, exactum studio laboris.
Inclytum vidit genio Sophorum
Mente Platonem.
Gratiam linguæ celebrem venusto
Ore, commendat genius loquendi
Suaviter rostris quoties fuisti
Tullius alter,
Nec Tibi virtus inimica docto;
Cum ambit illustres sapientiæ aras
Et locum Lauro viridi sacratum
Possidet in Te.
Sume jam vittam meritis paratam,
Dote virtutis decoratus Almæ
Computes magnos titulis honores
Fronde virescens.

XI. V. D. THOMÆ KOZNIEWSKI,

Mnemnosyne Mater Musarum, Cantibus filiarum, suos etiam jungit plausus, gratiasq; agit Supremo Tonanti.

CUM LEMMATE. Labore Corona paratur.

IN Tuam laudem propero sororum
Mater, illustrem genium canendo,
Ultimo primos repetens honores
Actaq;, plausus.
Quid prius læto cecinit cothurno
Nata; quid cunctis probitatis Almæ,
Omnibus dicit numerus inesse:
Hoc Tibi Mater,

Docte

Docte KOZNIEWSKI *meritis decorus*
Par decus Musis, Sapientiaq;
Gloriâ magnus, Capiti parata,
Munera sume.

Fulgeas Phæbi Lechici Coronâ,
Quam Tibi donat generosa virtus
Gloriam mecum referas Ionanti
More camænæ.

Qui regis mundum vicibûs supernîs
Temperas Pontum moderaris auras,
Alme terrarum Dominator Orbis
Sis benedictus.

Dii, quibûs, terris rediere laurus,
Fronte Musarum viruere serta
Et quibûs fasces Dominus Supremi
Contulit Orbis

Vos, piæ Musæ, colimus sonoris
Laudibus; vestrum maneat perenne
Gloriæ Nomen, ferimusq; Sacras
Pectore grates.

I. V. D. JOANNI ANTONIO ZARZYCKI,
Primæ Laureæ Candidato AUTHORI OPERIS,
MATTHIAS FEDEROWICZ,
Ejusdem Laureæ Candidatus.
In vim mutui affectûs,
Simul omnes in plausum expedit Musas,
CUM LEMMATE. Affectum corde rependo.

HVc venio plaudens doctarum quæque Sororum;
Palladium Nomen coleret, quam Iuppiter Almus,
Vtque Dijs Cæli cunctis, terræ, Mariumquè,
Prætulerit Phæbum, blando cum Nomine Musæ,
Narro, prisca Parens rerum, famæque perennis.
Imperium Summus distinguens ordine Rector,
Singula, cum primùm præfecit Numina rebus
Mens humana Deos subijt qua quærere cuncti
Acriter inter se statuerunt, quis minor esset

Munere? vel Superûm æterno quis major honore?
Ferrô Mars validus, magnusquè Tridentifer alto,
Munere quæque suo voluit præcellere turba.
Hæc Pater excelsus de summa respicit Arce
Omnibûs est Pallas præcellens Numina Mundi!
Majorquè Aonidum turbâ stipatûs Apollo.
Hæc Tibi Musarum cum Phæbo magnus amore
Zarzycki, mentem subeunt Oracula Cæli
Cum bene sic factis mandas narrata sororum,
Et reputas alijs meritò præcellere Phæbum.
Nam Tibi, quod clara genitus procedis ab Vrbe
Craci, virtutis naturâ nobilis Almæ
A superis magni, facilè donantur honores.
Jam Te Sacratus cælestibus ingerit Ordo
(Esse potest aliud majus quod Nomen honoris)
Iam sibi præconem Mundi Rex vendicat almus
Iam genius voti popularis spirat ad alta.
Natus virtuti decoratus honoribus esto
Par quibus es geniô, nec non par indole magna
Tu tamen haud dubitans cunctis ex Pallade laudem
Enasci summam, curris pro munere Phæbi;
Vir, tecum cuncti lauro decorentur honores
Submittas ergo vernanti tempora vittæ
Munera jam Phæbus donat, Musæq; precantur,
Nomen honore Tuum vireat lauruq; perennet.

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici Perillustris, & Reverendissimi Domini,

D. M. ANDREÆ KRUPECKI,

U. J. Doctoris & Professoris, Ecclesiarum, Cathedralis Cracovien: Canonici, Collegiatæ SS. Omnium Custodis, Premykovien: & Niegard: Curati, Canonizationis B. JOANNIS CANTIJ Procuratoris, Contubernij Philos: & Rosczev: Provisoris, Studij Almæ Universitatis Cracoviensis Generalis & Vigilantissimi RECTORIS.